



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

14. Ite, ostendite vos sacerdotibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

operum non tollit, quo ad Deum remunerato-  
rem & iustum Iudicem.

13. *Iesu Præceptor, miserere nostri.*

**D**O CENT hæc verba, docetq; prompta horum obedientia, quum necdum muniti iubente Christo ad sacerdotē irent, ut se mundos ostenderent, præclara fide istos leprosos imbutos fuisse. Christi opem implorant, Magistri titulo insigniunt, nullū sanitatis signum videntes promissioni credunt, & *fidei impulsu* (ait Calvinus) *proficiscuntur*. Ex decem tamen illis iuxta fidem suam sanatis, vnus tantū regressus est dans gloriam Deo. Reliqui nouem ex sententia Caluini fidē amiserunt. Potest igitur amitti fides accepta. Reluctatur hinc Calvinus, quod *Spiritu adoptionis adhuc regenti non erāt, & quod principia tantū & semē aliquid fidei acceperunt*. Sed neutra cauillatio eū iuuat. Spiritu adoptionis spiritualiter eos fuisse regentos, & filios Dei fuisse, dubitari non debet, quum Christus corpus sine anima nunquā sanauerit, nec sacramentum regenerationis adhuc institutū fuit. Non principium tantū aut semen aliquod fidei, sed magna & fortis fides erat, qua necdum mundati ibant tamen ad sacerdotem, corā quo nisi mundi apparere nō debebant: certō credentes se per obedientiam verbo Christi præstitam mundandos.

Fides  
amitti  
potest.

14. *Ite, ostendite vos sacerdotibus.*

Confessio  
Sacra-  
mentalis  
deficitur.

**A**D hunc locum eadem garrit & repetit Calvinus contra confessionē sacramentalem in Ecclesia Catholica, quæ suprā ad Matth. cap. 8. garruerat. Cui quæ eo loco responsa sunt, & hinc respōderi debēt. Vnū tamē hinc addit quo acerbius Catholicos perstringat, idque mira-

mirabili, vt sibi videretur, ac unine, sed insigni admodum, vt ostēdemus, stupore. *Bis* (inquit) *stulti sunt nō reputantes quā turpem infamiae maculam suae confessioni aspergant. Bene scilicet agetur si ex tota eorū caterua qui ad sacerdotes profecti fuerint, tantum decima pars ad Christum redeat, reliqui verò omnes impiè alienentur. Neque enim ostendere poterūt confessionis suae titulū, quin profectū hūc vicissim reuere liceat, nullos à sacerdotibus reuerti gloriā Deo daturus.* Hæc ille. Sed vt hominis impietate præteream, qui eodē cauillo Christi quoq; sanantis gratiam ludibrio exponit, à quo quum decem sanarentur, decima tantū pars dedit gloriam Deo, stuporem eius, quo percussus videretur, annotabo. Hoc ipso quippe in loco aliud subiecit, quo seipsū pulchrè refutauit. Ait enim. *Quanquam nouem leprosis nihil in salutē profuit carnis sanitas, sed tantū pro fluxa & caduca fide temporale donum adepti sunt; sub hoc tamen typo nobis ostensum fuit quā efficax futura sit vera fides.* Hæc ille, priorē suam stupidā cauillationem ipsemet refutans. Eodē enim modo quanquā nouem istis leprosis nihil profuit carnis sanitas, sed tantū pro fluxa & caduca obediētia eūdi ad sacerdotes, vt Christus iussit, temporale donū adepti sunt; sub hoc tamē obediētię typo nobis ostensum fuit quā efficax futura sit vera Christianorum obediētia, qui verē cōtriti adēūt sacerdotes, qui soluendi & ligandi potestatē acceperunt, vt ab illis soluantur. Sic in eadem pagina sui præ stupore oblitus, seipsum refutat. Quemadmodum nihil præiudicat aut verē fidei, aut Christi sanātis virtuti, istorum nouem incredulitas: sic nihil præiudicat veræ in Ecclesia Catholica peccatorum confessioni, aut sacerdotali absolutioni, istorum nouem typica ingratitude, vel ad vomitum reuersio.

Caluini  
scomma  
in Chri-  
stum re-  
dundat.

Caluinus  
ex seipso  
refutatur.